

CAPUT XXXVIII.

QUID POSSIT JUSTUS SIBI VEL ALIIS DE CONGRUO MERERI?

1. *Prima suppositio.* — *Secunda suppositio.* — Suppono quæstionem hanc non posse habere locum in prima gratia, quia, cum de homine justo moveatur, supponit in illo gratiam, saltem primam, non solum auxiliantem, sed etiam sanctificantem, quæ est fundamentum meriti de condigno, ideoque consequenter supponimus non cadere sub tale meritum, ut supra etiam dictum est, ex illo principio, quod principium meriti non cadit sub meritum. Occurrebat tamen quæstio, utrum per opera subsequenta gratiam posset justus illam mereri. Verumtamen ex natura rei et secundum legem ordinatam certum est non posse, de potentia vero absoluta res est controversa. Sed ab illa nunc abstinere, quia illius fundamenta sufficienter tractavi in 3 part., disp. 10, sect. 3 et 4. Deinde suppono non habere locum hanc quæstionem in augmento gratiæ, neque in aliis donis, quæ potest homo justus de condigno mereri. Quia non potest idem opus esse simul meritorium de condigno et de congruo ejusdem præmii, quia repugnat simul esse meritum perfectum et imperfectum respectu ejusdem; ergo, quotiescumque justus meretur de condigno augmentum gratiæ, vel aliquod hujusmodi, non potest simul et eodem opere idem de congruo mereri. Dices posse, saltem si habeat simul plures actus, per unum de condigno, et per alium de congruo idem augmentum gratiæ mereri. Respondeo hoc etiam repugnare, quia, si uterque actus sit aptus ad meritum, uterque erit in homine justo meritorius de condigno augmenti gratiæ et gloriæ, ut ex superius dictis constat. Quod maxime verum est de augmento gratiæ, quod immediate cadit sub tale meritum. An vero mediate possit meritum talis operis extendi de congruo ad aliud augmentum postea futurum, infra declarabo. Solum ergo relinquatur quæstio de aliis beneficiis gratiæ, quæ supra diximus non posse justum sibi de condigno mereri.

2. *Primum dubium circa primam partem tituli.* — *Opinio prima.* — Estque primum ac præcipuum dubium de reparatione post lapsum, an justus possit illam sibi mereri de congruo, et est sermo formalis (ut sic dicam)

de justo, quamdiu justus est, et de operibus vivis quæ facit, dum justus est. Nam post lapsum jam non operatur justus, nec facit opera viva, et de illis jam diximus quantum valere possunt ad reparationis meritum. Prima ergo sententia dicit non minus repugnare justum mereri de congruo reparationem quam de condigno. Ita D. Thomas, dicta q. 114, art. 7, quem ibi sequuntur Conradus, Cajetanus, Medina et fere moderni omnes, et Albertus Magnus in 2, dist. 28, art. 2, ubi plures ex Scholasticis idem sentiunt. Et idem indicat Alensis, 3 parte, quæstione mihi 61, alias 69, membro 5, art. 2, § 2, ubi absolute negat meritum, quamvis non distinguat in specie condignum et congruum, sicut fecit D. Thomas. Fundamentum hujus sententiæ est, quia omnia merita præcedentia, non solum de condigno, sed etiam de congruo mortificantur per peccatum consequens; ergo non minus repugnat mereri de congruo reparationem post lapsum quam de condigno. Probatur consequentia, quia in merito de condigno repugnantia oritur ex eo quod per peccatum subsequens mortificatur; ergo si in merito de congruo etiam mortificatur, eadem est repugnantia. Ratio autem repugnantia est, quia meritum mortificari, nihil aliud est quam impediri ne suum effectum habere possit, donec auferatur peccatum, et ideo ipsa ablatio peccati non potest esse effectus meriti mortificati. Primum autem antecedens probatur primo, ex illo Ezechiel. 18: *Si avertit se justus a justitia sua, etc., omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur;* et cap. 36: *Si dixerit justo quod vita vivat, et confusus in justitia sua fecerit iniquitatem, omnes justitiæ ejus oblivioni tradentur;* nullo ergo eorum meritum expeditum seu non mortificatum manet. Secundo, ratione, quia justus, peccando, et fit indignus omni bono, et virtute retractat omnem priorem bonam voluntatem; ergo mortificat omne suum meritum, id est, obicem ponit ne ratione illius aliquid per modum retributionis possit accipere.

3. *Secunda opinio.* — *Suadetur a quibusdam.* — *Minus tamen efficaciter.* — Nihilominus contrariam sententiam defendunt ex modernis Vega, quæstione sexta de Justificat., ad 6, et Bellarminus, lib. 5 de Justificat., cap. 2, et favet D. Thomas in capite 6 ad Hebr., lection. 3, circa illa verba: *Non enim injustus Deus, quibus opponit verba citata Ezechielis, et respondet distinguendo meritum condi-*

gnum et congruum; dicitque Deum ratione subsequentis peccati oblivisci præcedentium bonorum operum quoad meritum de condigno, non vero quoad meritum de congruo. Eandem sententiam tenet Bonaventura, in 2, distinct. 28, dubio secundo litterali, in fine, et Gabriel in primo, distinct. 27, quæstion. unic., art. 3, dub. 3, et Scotus in quarto, dist. 2, quæst. 1, artic. 2, in fine. Suaderique solet hæc sententia ex verbis illis in Psalm. 70: *Cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me;* interpretantur enim illam esse orationem justipetentis auxilium ad resurgendum, si forte ceciderit. Adduntque Alensis et divus Thomas testimonium Augustini, dicentis nihil justius a Deo peti, quam quod homo post lapsum reparatur. Quod autem juste petit homo in gratia existens, poterit etiam de congruo mereri. Tota autem hæc probatio parum efficax est. Nam locus Psalmi ad litteram non intelligitur de lapsu in peccatum, sed de quacumque magna tribulatione ad quam vincendam virtus humana deficit, et ideo David petebat in tali necessitate a Deo non derelinqui sine speciali protectione et auxilio. Locum autem Augustini apud eum hactenus invenire non potui, et, exponendo Psalmum, potius locum illum interpretatur de petitione auxilii prævenientis, ne quis in tribulatione deficiat, et non tantum intelligit hæc verba de defectu culpæ, sed de defectu virium ad sustinendam quamcumque tribulationem, unde etiam ad Christum verba illa accommodat. An vero oratio illa impetratoria sit, eandem difficultatem habet quæ est de merito de congruo, et ideo non potest tale meritum inde recte probari, sed aliud utriusque rei fundamentum quærendum est.

4. *Ratio solidior.* — Proprium ergo fundamentum hujus sententiæ esse debet, quod, licet per subsequens peccatum mortificentur bona opera quoad meritum de condigno, non est necesse ut quoad meritum de congruo etiam mortificentur. Probatur primo, quia peccatum mortale reddit hominem incapacem actionis justitiæ apud Deum, seu ut Deus sit illi debitor ex propria justitia, non tamen reddit illum incapacem omnis alterius tituli, seu congruitatis fundatæ in operibus ejus, ut eorum intuitu aliquid a Deo obtineat, quod sufficit ad meritum de congruo; ergo non est par utriusque ratio. Secundo declaratur amplius illa differentia, nam homo in peccato existens potest mereri de congruo apud Deum, etiam auxilia quibus eandem remis-

sionem peccatorum consequi valeat; ergo eadem ratione opera viva prius facta possunt post lapsum hominis retinere rationem aliquam meriti de congruo ad similia auxilia a Deo obtinenda. Responderi potest esse dissimilem rationem, quia cum peccator meretur de congruo remissionem peccatorum, non ponit novum impedimentum suo merito, justus autem peccando novum impedimentum ponit.

5. *Instatur.* — Sed contra hoc instatur, quia non minus impedimentum esse videtur respectu meriti de congruo peccatum præexistens, quam peccatum superveniens. Nam tota ratio impedimenti est, quod homo per peccatum fit indignus omni bono apud Deum, et incapax juris apud eundem, aut debiti Dei ad ipsum, vel etiam quod ipsum hominem facit reum amissionis bonorum omnium, præsertim spiritualium; sed hæc omnia non minus præstat peccatum præexistens quam superveniens; ergo si hæc non obstant quominus præexistens non impediatur acquisitionem novi meriti de congruo, neque etiam impediatur quominus in præcedentibus bonis operibus aliqua ratio meriti de congruo conservetur. Et eadem ratione, non videtur necessarium ut peccator qui bene operando aut recte orando ex parte sua meruit de congruo, aut fecit quod in se est ad impetrandum, si denuo peccet, eo ipso amittat vel totam rationem meriti de congruo præcedentium operum, aut totam vim orationis factæ ad impetrandum, quia, licet ille indignus sit, et addendo peccatum indignior fiat, nihilominus ex parte operum et orationis, quæ in conspectu Dei permanent, semper manet eadem congruitas vel efficacia ad impetrandum, et ex parte hominis licet sit aliqua major indispositio, non tamen absoluta incapacitas, ut ostensum est.

6. *Acceptatur secunda opinio.* — Hæc ergo sententia mihi satis pia et probabilis videtur, quia non video repugnantiam in illa, et alioqui satis decere videtur divinam justitiam late sumptam, ut, non obstante superveniente peccato, recordetur præcedentium meritorum, et intuitu illorum peccatorem excitet ut a peccato resurgat, præsertim quando præcedentia merita insignia fuerunt, et subsequens peccatum ex vehementi aliqua occasione vel fragilitate committitur. Nec desunt in Scriptura hujus providentiæ exempla, nam 2 Paralip. 19, dixit Jehu Propheta ad Josaphat, regem Juda: *Impio præbes auxi-*

lium, et qui oderunt Dominum amicitia jungeris, et idcirco iram quidem Domini merebaris, sed bona opera inventa sunt in te. Ubi Theodoretus ait: *Hinc dicimus quod minuunt peccatorum penas, quæ prius fuerant recte facta.* Et Lyran.: *Merebaris (inquit) iram de rigore justitiæ, sed propter alia opera tua bona pepercit tibi ex dulcore suæ misericordiæ.* Quod non videtur solum intelligendum de aliquarum pœnarum temporalium remissione, sed etiam de illius vocatione ad pœnitentiam, quam per illummet Prophetæ reprehensionem consecutus est, ut ex his quæ ibidem subjunguntur colligitur. Simile videtur esse quod, Apocalyp. 2, prius commemorantur Episcopi Ephesini bona opera et laudes, et postea subditur: *Sed habeo adversum te pauca, quod charitatem tuam primam reliquisti,* ubi videtur Deus, non obstante sequenti lapsu, intuitu priorum bonorum illum episcopum ad pœnitentiam provocasse. Verum est, valde probabile esse, et fortasse probabilius, lapsum illum non fuisse per amissionem charitatis, sed per teporem in operibus ejus. Nihilominus tamen in illo et in sequenti capite sunt alia exempla, in quibus est sermo de lapsu mortali, in quibus Deus eundem modum providentiæ et recordationis priorum bonorum operum ostendit.

7. *Effugium.* — *Claudatur.* — Dicunt vero aliqui hæc et similia non esse intelligenda secundum proprium meritum etiam de congruo, sed secundum quemdam metaphoricum modum, quo dicere solemus peccatum ex ignorantia veniam mereri. Sed revera non est conveniens similitudo, quia ignorantia solum excusat minuendo culpam, et ideo solum dicitur mereri veniam quasi negative, quia non reddit hominem ita indignum veniæ. At bona merita præcedentia positive placent Deo, et in ejus acceptatione manent, et ita possunt movere Deum ad miserendum peccatoris ex positiva decentia, quæ ad meritum de congruo sufficiat. Non video igitur cur hoc generaliter negandum sit, quamvis nec de quocumque merito, nec de omni peccato id videtur universaliter affirmandum, sed proportionem aliquam prudenti arbitrio esse observandam. Possunt enim præcedentia merita esse tam pauca, et tot peccata postea multiplicata, ut omnino obruant merita, et efficiant ut nullo modo Deum ad miserendum provocent; secus vero erit si e contrario merita magna fuerint, et peccatum subsequens et rarum sit, et excusationem ali-

quam ex ignorantia vel infirmitate habeat. Solum ergo dicere possumus ex sola generali ratione talis peccati non statim inferri, omnia præcedentia opera mortificari, etiam quoad meritum de congruo; in particulari vero quando cum tali peccato consistat tale meritum, et quæ opera ad illud sufficiant, nobis incertum est.

8. *Concluditur orationem justî pro lapsu reparatione, esse meritoriam de condigno augmenti gratiæ, et de congruo ipsius reparationis.* — Et hinc intelligi potest quid dicendum sit de illa oratione, qua justus petit ut reparetur, si ceciderit, de qua dubitari non potest quin sit justa et honesta, ut aperte docet D. Thomas, dicto art. 7, ad 1. Et ratio est clara, quia illa oratio est justa ex parte objecti, id est, est petitio rei justæ et conformis divinæ voluntati, nam Deus vult ut qui ceciderit resurgat. Item procedit ex affectu spiritualis salutis, et ex pio desiderio non permanendi in peccato, potestque fieri cum omnibus aliis circumstantiis debitis, id est ex fide, et cum fiducia ac perseverantia, et in nomine Christi, ac denique sine ullo affectu ad peccatum; nam conditio illa: *Si peccavero*, nullo modo involvit vel supponit voluntatem peccandi, nam conditionalis nihil ponit in esse. Unde fit talem orationem in homine justo esse meritoriam de condigno augmenti gratiæ et gloriæ, quia in illa concurrunt omnia requisita, ut ex dictis patet. Nihilominus Vasquez, in dicto art., sicut negat esse meritoriam de congruo reparationis post lapsum, ita negat esse impetratoriam ejusdem beneficii. In quo fortasse loquitur consequenter; aliunde autem videtur id esse contra rationem justæ et honestæ petitionis, aliquid petere, quod scias impetrandum non esse, imo quod impetrare per talem orationem repugnat. Alii ergo admittunt illam orationem esse impetratoriam reparationis post lapsum, non tamen esse meritoriam ejus etiam de congruo, quia minus requiritur ad impetrandum quam ad merendum, quia meritum innititur justitiæ, impetratio vero misericordiæ. Ita Alvarez, de Auxil., disput. 59, n. 17, in princ. Sed neque hoc videtur consequenter dici, quia meritum de congruo non innititur propriæ justitiæ, sicut meritum de condigno, sed lato modo, ut dicit decentiam divinæ providentiæ, quæ non repugnat peccatori. Et quoad hoc equiparatur impetrationi, nam, sicut impetratio fit intuitu præcedentis petitionis, ita

quod fit ex tali merito de congruo, fit intuitu præcedentis obsequii; ergo, sicut peccatum subsequens non impedit quin Deus recordetur præcedentis petitionis, ita non impedit quominus recordetur præcedentis obsequii tanquam meritorii, saltem de congruo. Utrumque ergo concedo. Adde vero illam impetrationem non esse infallibilem, quia, eo ipso quod homo cadit, deest illi perseverantia ad infallibilitatem necessaria. Potest autem interdum oratio impetrare si sit honesta, et ex gratia, etiamsi careat aliqua conditione necessaria ut ex infallibili promissione efficaciam habeat.

9. *Dubium secundum circa eandem partem tituli.* — *Opinio prima.* — Aliud dubium est an possit justus sibi de congruo mereri perseverantiæ donum. Aliqui moderni negant, putantque esse sententiam D. Thomæ in art. 9, quia absolute negat meritum perseverantiæ, unde videtur quodlibet meritum negare. Nam quando vult unum tantum meritum negare, et aliqua admittere, illa distinguit, ut patet ex artic. 6 de merito respectu alterius. Item ratio D. Thomæ, scilicet, quod perseverantia non est terminus, sed principium, non minus de merito congruo quam condigno procedere videtur. Et ita profecto videtur sentire Cajetanus in eodem articulo 9, et clarius in 10, ubi, quod D. Thomas ait, omnia quibus homo juvatur ad perveniendum ad beatitudinem cadere sub merito simpliciter, intelligendum esse dicit de habentibus rationem termini, ut excipiat perseverantia. Interpretati autem sumus, meritum simpliciter, de quo ibi sermo, omne meritum gratiæ, sive de condigno, sive de congruo comprehendere.

10. *Secunda opinio.* — *Approbat.* — Alii vero censent justos posse mereri de congruo perseverantiam in gratia. Ita tenet Vega, et inclinant moderni ad art. 9 D. Thomæ, quem de merito de condigno interpretantur, cum negat posse justum mereri perseverantiam, et ita proposuit conclusionem D. Thomæ cum illo addito, *de condigno*, Medina ibi, et latius exposuit Vasquez, et mihi placet expositio, tum quia ratio D. Thomæ non plus probat, ut statim declarabo; tum etiam quia sicut admittit meritum perseverantiæ gloriæ, ita negat meritum perseverantiæ viæ; sed meritum perseverantiæ gloriæ est de condigno; ergo illud tantum negare voluit de perseverantia viæ; tum etiam quia in solut. ad 1, concedit posse justum impetrare perseverantiam; quod autem justus viator impetrat, mereri etiam po-

test saltem de congruo, si aliunde non repugnet, prout de perseverantia statim ostendemus; unde quod ibi ait D. Thomas, posse hominem impetrare quod mereri non potest, de merito etiam de condigno intelligendum est; tum denique quia in art. 7, ubi D. Thomas voluit utrumque meritum negare circa reparationem post lapsum, utrumque etiam in specie distinxit; at de perseverantia non ita, sed simpliciter de merito locutus est. Recte igitur quasi per antonomasiam vel analogiam de merito de condigno exponitur. Atque hanc sententiam, si recte exponatur, veram esse existimo.

11. *Notatio pro approbata opinione, quomodo justus non mereatur perseverantiam.* — Advertendum est ergo, quod supra dixi, perseverantiam in gratia supponere gratiam ipsam, sicut conservatio supponit rei productionem, et ideo in dono perseverantiæ non includi intrinsece auxilia omnia, quæ ad primam gratiam consequendam conferuntur, sed post gratiam adeptam inchoari. Unde fit ut perseverantiæ donum in rigore incipiat intrinsece a primo auxilio efficaci, quod post justificationem datur in ordine ad servandum aliquod præceptum, ac subinde cætera complectatur, quæ discursu temporis ad servanda præcepta et vitanda peccata usque ad mortem dantur. Si ergo donum perseverantiæ hoc modo sumatur, sicut non potest justus illud de condigno mereri, ita neque de congruo. Ratio est, quia etiam meritum de congruo esse debet ab auxilio; ergo primum meritum de congruo, quod homo habet post justificationem, supponit auxilium efficax per quod ad perseverandum tendit; ergo illud auxilium est primum, quod intrinsece donum perseverantiæ inchoat. At illud auxilium non potest cadere sub merito de congruo hominis justificati; ergo nec donum perseverantiæ, ut illud includit, potest sub meritum de congruo cadere. Quem discursum de merito de condigno late prosecuti sumus, et hic potest cum proportionem applicari. Eodemque probatur non posse justum impetrare donum perseverantiæ sic sumptum, quia oratio impetrans perseverantiam supponit auxilium efficax ad orandum, quod impetrare non potest, cum tamen illud auxilium ad dictum perseverantiæ donum intrinsece pertineat.

12. *Quo item modo eam mereatur.* — *Id ex Augustino suadet.* — *Et ratione a priori.* — Alio vero modo sumitur perseverantia, seu perseverantiæ donum, quatenus inchoatur

extrinsece a primo auxilio efficaci post justificationem dato ad perseverantiam aliquo modo procurandam, ut ad petendam illam, vel aliquod illius propositum, aut desiderium habendum, vel aliquid simile. Et in hoc sensu sumpsit sine dubio Augustinus perseverantiam, lib. de Dono persever., cap. 2 et 17, cum dixit posse nos impetrare orando perseverantiæ donum, sicut donum castitatis ac sapientiæ. Et in eodem sensu locutus est D. Thomas in dicto artic. 1. Estque res certissima, nam petitio perseverantiæ justa est, et communis fidelibus, imo inclusa in illa petitione orationis Dominicæ: *Et ne nos inducas in tentationem*, vel etiam in illa: *Sanctificetur nomen tuum*, ut ex Cypriano supra refert Augustinus. Ergo de se est impetratoria, ut in simili supra probatum est, et late ostendit Augustinus dict. lib. de Persever., cap. 6. De perseverantia ergo sic sumpta verissimum est posse justum illam de congruo mereri. Ad quod suadendum est argumentum ex impetratione, juxta eundem Augustinum in Epistol. 105 et 106, ad hanc argumentandi rationem a nobis supra expositum. Unde idem Augustinus, in dicto cap. 6 de Dono persever., verbo *merendi* usus est. Ratione probatur a priori, quia perseverantia in dicta acceptione supponit gratiam tam sanctificantem quam auxiliantem, quæ possit esse principium actus meritorii; ergo ex hac parte non repugnat cadere sub tale meritum, cum non sit principium ejus. Aliunde vero quamvis ex natura sua non sit terminus ad quem gratia per se tendit, hoc etiam non obstat ad meritum de congruo, quamvis obstat merito de condigno, ut supra dictum est; ergo nihil est quod obstat, nam aliæ conditiones non desunt, ut per se constat. Minor probatur imprimis ratione generali sæpe repetita, quod ad meritum de congruo conditiones pauciores quam ad meritum de condigno requirantur; ergo cum in præsentia aliæ ad meritum necessariæ inveniuntur, ad meritum de congruo sufficient, quamvis hæc desit. Deinde demonstratur a simili, nam hæc etiam conditio deest in uno justo respectu alterius, et tamen potest unus alteri mereri de congruo perseverantiam, ut statim dicam; ergo multo magis sibi, quia jam supponit primam gratiam, et per peccatum nondum interruptam.

13. *An meritum perseverantiæ fundetur in promissione divina. — Quid Medina opinetur. — Quid Vazquez.* — Potest autem de hoc merito quæri an habeat certam promissionem

absolutam, ita ut ratione illius infallibiliter effectum habeat. Quod dubium movet de impetratione Medina, dicto artic. 9. Negatque posse justum per orationem infallibiliter perseverantiam impetrare; unde fit consequens ut etiam promissionem neget. Probat, quia alias homo justus, præsertim post multa merita, petens perseverantiam, infallibiliter illam obtineret: consequens est falsum, tum quia viri sanctissimi post multas similes orationes sæpe cadunt; tum etiam quia alias justus sic orans posset esse securus, et absque timore et tremore salutem suam operari, quod videtur esse contra Paulum. At vero P. Vazquez, in eodem articulo, contrarium sentit, fundaturque in generali promissione facta orationi: *Petite, et accipietis*, etc., Matth. 9; et: *Si quid petieritis*, etc. Respondet Medina sub illa promissione non comprehendendi perseverantiam, quia non est conditio viatoris, cujus arbitrium est flexibile, quamdiu non pervenit ad ultimum terminum. Sed hoc non videtur admittendum, tum quia licet perseverantia per intrinsecam impeccabilitatem sit propria comprehensoris, nihilominus perseverantia per auxilium Dei, quod non aufert libertatem peccandi, donum est viæ multis justis communicatum; tum etiam quia alias irrationabilis esset petitio perseverantiæ, sicut esset stultum petere a Deo in hac vita impeccabilitatem beati; tum denique quia, si illa ratio solida esset, non posset impetrari perseverantia, vel saltem non posset cum magna fiducia peti.

14. *Notatio pro decisione. — Decisionis pronuntiatum primum. — Unde probetur.* — Mihi dicendum videtur, duobus modis posse intelligi justum mereri vel impetrare donum perseverantiæ. Primo, per unum actum, vel per plures in certo tempore, vel usque ad certum instans vitæ factos, impetrando perseverantiam, et quasi confirmationem in gratia pro reliquo tempore vitæ. Secundo, successive per totum vitæ tempus quasi per partes perseverantiam impetrando, verbi gratia, nunc impetrando auxilium efficax ad non cadendum in præsentia occasione, et post illam iterum orando, et impetrando aliud auxilium ad servandum præceptum iterum occurrens, et sic consequenter semper orando et nunquam deficiendo. Dico ergo priorem modum merendi vel impetrandi perseverantiam non esse infallibilem. Hoc suadet a posteriori argumentum Medina; a priori vero ratio est, quia nulla extat de hac re divina promissio.

Quod quidem respectu meriti manifestum est, quia sub nomine meriti aut præmii nulla invenietur talis promissio. Quoad impetrationem vero probatur, quia ex promissione facta orationi talis infallibilitas colligi non potest. Probat, quia illa promissio facta est sub certis conditionibus, quibus non concurrentibus oratio non infallibiliter impetrat, ut diximus lib. 1 de Oration., a capit. 23; una autem est perseverantia, ut ibidem diximus capit. 26; ergo ipsa perseverantia est quasi principium infallibilis impetrationis; ergo non potest esse terminus ejusdem infallibilis impetrationis. Nam sicut principium meriti non cadit sub meritum, ita nec principium impetrandi cadit sub impetrationem.

15. *Objectio contra proxime dicta. — Respondetur primo.* — Dices conditionem perseverandi, requisitam ad infallibilem impetrationem orationis ratione promissionis, non esse perseverantiam in gratia, nam etiam in oratione peccatoris illa conditio postulatur, cum tamen ille sic orans in gratia perseverare non possit; solum ergo requiritur perseverantia in ipsamet oratione; ergo non repugnat perseverantiam in orando, esse principium perseverandi in gratia. Respondet primo, quamvis, absolute loquendo, oratio possit esse impetratoria, etiamsi orans non sit in gratia, nihilominus hanc orationem, qua petitur perseverantia in gratia, ratione rei postulata, quæ intrinsece gratiam supponit, postulare gratiam in orante, ut impetratoria sit, et consequenter postulare perseverantiam in gratia, ut infallibiliter impetratoria sit, quia, ut oratio habeat perseverantiam debitam, perdurare debet cum illis circumstantiis moralibus, quas a principio habere etiam debuit, ut congrue fieret. Unde, eo ipso quod novum impedimentum ponitur effectui orationis, deficit perseverantia in orando, saltem debito modo. Quod etiam in exemplo allato de oratione peccatoris explicari potest, quia si oratio ejus per novum peccatum mortale interrumpatur, deficit perseverantia ad infallibiliter impetrandum, et ita etiam in illo requiritur perseverantia in conditione personæ, non quidem quoad statum gratiæ, sed quoad hoc saltem ut non deterior fiat. Nam licet fortasse hoc non sufficiat, ut talis oratio nunquam impetret, ut supra tetigi, sufficere tamen videtur, ut etiam ex vi promissionis non infallibiliter impetret.

16. *Respondetur secundo. — Secundum pro-*

nuntiatum. — Probatur. — Secundo respondeo concedendo ad infallibilem impetrationem ex promissione, formaliter loquendo, esse necessariam perseverantiam in orando, et consequenter dico, si quis oret perseveranter petendo perseverantiam in gratia, infallibiliter eam esse impetraturum, non tamen illo primo modo quem hactenus negavimus, sed alio secundo modo prius declarato. Atque ita dicimus secundo justum perseverando debito modo in orationis instantia et frequentia, posse successive infallibiliter obtinere perseverantiam usque ad mortem. Probat, quia perseverantia in orando, ad hanc impetrationem necessaria, non est tantum duratio aliqua unius vel alterius petitionis pro aliquo tempore, hoc enim nec definiri potest, nec cum fundamento affirmari. Neque esset prudens oratio, qua quis peteret sibi dari perseverantiam pro toto tempore futuræ vitæ, etiam sine nova diligentia procurandi eandem perseverantiam. Neque est cur credamus talem promissionem esse alicui orationi factam. Igitur perseverantia orationis, in tali materia requisita, est ut non semel tantum aut iterum fiat, sed ut toto tempore vitæ duret, et præsertim ut in occurrentibus occasionibus servandi mandata, aut vincendi tentationes, cum debita fiducia repetatur. Sic enim fiet ut, procedendo ab uno actu ad alium, bene operando, et convenienter orando, infallibiliter perseverantiam consequatur.

17. *Exponitur dictum pronuntiatum.* — Hæc autem infallibilitas non convenit huic merito de congruo ratione sui (ut ita dicam), sed ratione impetrationis, quæ proprie soli orationi seu petitioni, ut talis est, respondet. Ratio est, quia hæc infallibilitas solum fundatur in promissione divina, quæ non invenitur facta operibus justorum, quatenus meritorii de congruo, sed tantum orationi. Quare ut fructus hujus meriti certior sit, adjungenda semper est petitio perseverantiæ. Et eadem ratione, non solum orandum est ut non peccemus, sed ut in oratione perseveremus, quia neque oratio, neque perseverantia in illa, potest sine gratia Dei fieri, neque sine congrua vocatio- ne fiet. Et ita totum hoc meritum et impetratio initium habere debet ab aliquo auxilio sine merito vel impetratione collato, ut paulo antea dixi, et in dicto capite vigesimo sexto de Orat., et ita videtur explicare hoc meritum perseverantiæ Augustinus in locis ex lib. de Dono persever. allegatis.

18. *Dubium tertium circa eandem primam*

partem tituli: Quas gratias alias sibi mereatur justus? — *Quid de gratiis gratis datis*. — Atque ex his expeditur tertium dubium quod hic proponetur, an justus possit sibi mereri de congruo alia dona gratiæ. Quod intelligi potest, vel de donis gratiæ gratis datæ, vel gratum facientis. De prioribus nihil a Theologis traditum, vel ex Scriptura, aut Patribus habemus. Videtur autem dicendum has gratias regulariter non dari ex aliquo merito accipientis, sed eas dividere Spiritum Sanctum, sicut vult, ut Paulus ait 1 ad Cor. 12, propter quod quasi per antonomasiam gratiæ gratis datæ appellantur. Et ratio esse potest, quia cum solum dentur propter commune bonum Ecclesiæ, in earum collatione non ad meritum recipientis respicitur, sed ad consilium voluntatis divinæ hæc bona sic dispensantis. Hoc tamen non obstante, verisimile est sæpe conferre Deum justo aliquos actus et effectus harum gratiarum propter meritum ejus, hoc enim ex historiis et factis Sanctorum sufficienter colligi videtur. Tale autem meritum non est de condigno, quia neque ex natura rei actus gratiæ sanctificantis ordinantur ad hujusmodi præmia, neque de illis habent divinam promissionem, de qua nobis constet. Erit ergo meritum de congruo, quia congruum est Deum per Sanctos suos mirabilia operari. Et ideo ordinarie Deus hujusmodi gratias excellentioribus Sanctis confert, in testimonium etiam virtutis ipsorum. Et credibile est quando hoc titulo illas tribuit, tali modo eas donare, ut ad sanctitatis, ac fidei, et humilitatis, ac gratitudinis augmentum illis prosint, sub qua ratione ad dona gratiæ sanctificantis pertinebunt.

19. *Quid de gratia sanctificante, tum habituali, tum actuali*. — De altero igitur membro gratiæ, nimirum sanctificantis, dicendum, cum habitualis vel actualis esse possit, habitualement non cadere sub hoc merito justorum, ut in principio capitis dixi, actuale vero cadere. Hoc ultimum probatur ex dictis, quia justus mereri potest de congruo donum perseverantiæ, quod quidem in auxiliis gratiæ sanctificantis consistit; ergo, etc. Item supra dictum est posse peccatorem per bonum actum ex primo auxilio mereri secundum, et sic deinceps; ergo multo magis potest justus mereri hæc auxilia ad eundem modum; ostensum est autem supra non mereri illa de condigno; ergo superest ut de congruo illa mereatur. Et simile argumentum sumi potest ab impetratione, quia melius potest jus-

tus hæc dona impetrare quam peccator, et in his personis viatoribus, præsertim justis, fit magnum argumentum ab impetratione ad meritum de congruo, ut sæpe dictum est. Unde infero posse justum mereri de congruo non solum auxilia sufficientia, sed etiam efficaciam, nam ad perseverandum in gratia talia requiruntur. Neque obstat quod ea non possit mereri de condigno, ut supra diximus, quia facilius est mereri de congruo, quia pauciores conditiones requirit. Dices: ergo saltem mediate poterit justus mereri etiam de congruo augmentum gratiæ, quod supra negavimus. Et sequela patet, quia merendo auxilium efficax, per illud consequenter merebitur augmentum gratiæ. Respondetur augmentum illud vere non dari proprie, et per se, nisi propter meritum de condigno; non est tamen inconveniens, quod meritum de condigno manet aliquo modo ex merito de congruo, quod solum improprie et per modum causæ per accidens meritum talis augmenti dici potest.

20. *Quartum dubium adhuc circa primam partem tituli*. — *Cap. præcedent. a num. 26*. — Quartum dubium esse potest, an justus possit sibi de congruo mereri temporalia bona. Sed hoc ex dictis solvitur; nam si illa bona considerentur ut utilia ad vitam æternam, possunt justus illa de congruo mereri, sicut alia gratiæ auxilia, ad quæ reducuntur, ut supra diximus. In quo potest obiter notari ex his bonis non plura mereri eum, qui justior est, vel melius operatur, sed in ea quantitate aut occasione illa mereri, qua sibi sunt utiliora futura. Et secundum hunc respectum observanda est proportio inter tale meritum cum tali præmio, non secundum absolutam quantitatem talium bonorum. Unde fieri interdum poterit ut justus potius mereatur de congruo paupertatem quam divitias. Unde si talia bona absolute considerentur, non videntur proprie cadere sub hoc merito supernaturali, etiam de congruo, quia non sunt simpliciter bona, imo in ordine gratiæ sunt veluti indifferentia, quia sæpe plus obsunt quam prosint, et ideo nec absolute desideranda nec petenda sunt, ac proinde apud Deum non computantur in præmium, sed quando expedit, quasi pro corollariis dantur, juxta illud Matth. 6: *Hæc omnia adjicientur vobis*, ut ibi Maldonat. bene notavit.

21. *Pro secunda tituli parte ponitur regula*. — Ultimo, ex dictis definitur facile altera pars hujus capitis, quid possit justus aliis de con-

gruo mereri; est ergo regula posse justum alteri mereri de congruo, quod sibi potest, et aliquid amplius. Hoc ultimum declaratur, quia potest alteri mereri primam gratiam, ut docet divus Thomas, dicta quæst. 114, art. 6, et omnes Theologi, cum tamen sibi non possit illam mereri. Et ratio est, quia hoc meritum supponit primam gratiam in merente, non tamen in eo cui meretur. Sed quæri potest de qua prima gratia hoc intelligendum sit. Respondeo imprimis id certum esse de prima gratia auxiliante, etiam efficaci, ut communiter docent Theologi et Patres de vocatione Pauli, quam Stephanus illi meruit. Et ratio est, quia illa gratia, licet sit prima respectu recipientis, supponit gratiam et sanctitatem in orante, et ideo in illo concurrunt omnia ad hujusmodi meritum necessaria. Idem sentit D. Thomas in illo articulo, nam absolute loquitur de prima gratia, quæ simpliciter dicta solet sanctificantem significare. Et ratio D. Thomæ est, nimirum, quia congruum est ut Deus secundum amicitiam proportionem impleat justum desiderium de salute alterius hominis justus, qui voluntatem ipsius Dei implet. Estque hæc sententia simpliciter vera. Adverto tamen cum Henrico, Quodlib. 1, quæst. 22, non posse justum mereri alteri primam gratiam habitualement immediate, et sine prævia dispositione sufficiente in adulto, vel sine sacramento in parvulo, quia hoc est contra ordinariam legem Dei, ac proinde quasi miraculosum in ordine gratiæ; quod autem hujusmodi est, non cadit sub ordinario merito. Dicitur ergo justus posse mereri alteri primam gratiam, quia potest illi mereri vel applicationem sacramenti, vel vocationem congruam, etiam ad contritionem in adulto, cum quibus causis est per se et infallibiliter conjuncta prima gratia.

22. *Primum corollarium ex dicta regula*. — *Secundum corollarium*. — *Remissio dubii*. — Et hinc constat posse justum mereri alteri reparationem post lapsum, quia non est difficilius remissio secundi peccati quam primi, neque infusio primæ gratiæ, quæ secunda vice, quam quæ prius fuerat facta. Accedit quod ex parte merentis eadem conditiones ad hoc meritum necessariæ ita concurrere possunt

respectu reparationis post lapsum, sicut respectu remissionis primi peccati. Et alioqui lapsus alterius non mortificat meritum justus sicut lapsus proprius, et ideo minor est difficultas in merendo alteri reparationem post lapsum, quam in merendo sibi ipsi; et ideo omnes auctores hoc meritum respectu alterius admittunt, quamvis respectu ipsiusmet merentis sint variæ opiniones, ut supra vidimus. Simili modo sequitur posse justum mereri alteri perseverantiam in gratia, eo saltem modo quo potest illam mereri sibi. Quia potest justus mereri alteri vocationem efficacem ad primam dilectionem Dei super omnia, vel ad contritionem; ergo eadem ratione potest illi mereri de congruo secundam et tertiam dilectionem, et auxilium efficax ad servanda semel et iterum præcepta. Existimo tamen non extendi hoc meritum ad merendum alteri uno actu diuturnam perseverantiam, et quasi confirmationem in gratia, quia si justus non potest sibi hoc mereri, minus poterit alteri, quia ratio hujus meriti magis urget respectu ipsiusmet merentis, et alioqui inconveniens, seu incongruitas, quæ respectu sui in tali merito consideratur, eadem est respectu alterius. Satis ergo est quod possit justus, repetitis meritis et orationibus, mereri alteri in singulis opportunitatibus auxilium efficax ad perseverandum. Et ad eundem modum sentiendum est de merito aliorum auxiliorum, vel etiam temporalium bonorum, quatenus ad salutem alterius utilia sunt futura. Prædestinationem autem non potest purus homo justus alteri mereri, quia, eo ipso quod tale meritum sit medium ad alterius prædestinationem exequendam, est effectus prædestinationis ejusdem, ut latius in materia de Prædestinatione dictum est. Tandem poterat hic quæri an possit justus viator mereri de congruo non solum alteri viatori, sed etiam beato, saltem accidentalem gloriam, vel intrinsicam, vel extrinsecam per honorem et claritatem nominis apud alios. Sed hoc punctum tractavi de impetratione, lib. 1 de Oration., cap. 14, et ibi dicta hic possunt cum proportionem applicari, et ideo hæc de Merito dixisse sufficiat, atque hic finis esto universæ tractationis de Gratia, quam nobis etiam finalem Deus impertiat.